



## DE BENEDICTIONE ET CONSECRATIONE VIRGINUM.

**B**enedictio, et consecratio Virginum fieri debet in Epiphania Domini, vel in Albis Paschalibus, aut in Natalitiis Apostolorum, seu in Dominicis diebus. Die vero præcedenti, hora vespertina, vel etiam mane, antequam Pontifex ad Missam se paret, in loco convenienti, præsentantur ei Virgines benedicendæ: qui de earum ætate et proposito singulariter singulas, videlicet, an annum vigesimum quintum compleverint, si voluntatem, et propositum servandæ virginitatis habeant, diligenter inquirunt; et insuper seorsum cum qualibet de vita, et conscientia, et carnis integritate. Quo facto super altari in cornu Epistolæ locantur pro Virginibus benedicendis vestes, vela, annuli, et torques, sive coronæ, tempore suo Virginibus tradenda. Deputantur paranyphæ matronæ seniores, et propinquæ earum, quæ Virgines associant, et præcedunt, collocant, ac deducunt ad Pontificem, et reducant. Ordinatur etiam in Ecclesia papillo, aut alius locus conveniens paratur, in quo Virgines ipsæ conveniunt, et suo tempore se vestiunt benedictis vestibus. Post hæc, hora congrua, Pontifex paratus omnibus Pontificalibus parametis, procedit more consueto ad Missam, et in ea usque ad Allelúja, sive ultimum Versum Tractus, vel Sequentiæ exclusive.

Missa dicitur de die, cum Collecta pro Virginibus, sub uno Per Dóminum.

### Oratio.

**D**a, quæsumus Dómine, his famulábus tuis, quas virginitatis honóre dignátus es decoráre, inchoáti óperis consummátum effectum: et, ut perfectam tibi offerant plenitudinem, initia sua perdúcere mereántur ad finem. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. **R.** Amen.

Dicto Graduali, Tractu, vel Sequentia, usque ad ultimum Versum exclusive, Pontifex sedet cum mitra super faldistorium, ante medium altaris præparatum.

Virgines vero in vestibus, quibus in monasterio usæ sunt, sine velis, sine mantellis, et sine cucullis e monasterio egressæ, associatæ singulæ a duabus matronis senioribus, et propinquis, ac velis ante faciem demissis, Ecclesiam ingrediuntur: et Archipresbyter superpelliceo et pluviali indutus cantat competenti voce hanc Antiphonam:

**P**rudéntes vírgines aptáte vestras lámpades, ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

Virgines vero audientes vocem Archipresbyteri, et accendentes cereos suos, progrediuntur binæ, et binæ. Archipresbyter vero præcedens statuit eas extra chorum, ut facies ad altare majus vertant, et Pontificem coram altari sedentem possint videre, et ipse eas. Tunc idem Archipresbyter in parte Virginum stans, dicit competenti voce, in tono lectionis, ad Pontificem, Virginibus genuflectentibus.

**R**euerendíssime Pater, póstulat sancta mater Ecclésia cathólica, ut has præséntes Vírgines dignémini benedícere, et consecráre, ac Dómino nostro Jesu Christo, summi Dei Fílio, desponsáre.

Pontifex interrogat, dicens:

Scis illas dignas esse?

Respondet Archipresbyter:

Quantum humana fragilitas nosse sinit, credo et testificor illas dignas esse.

Tunc Pontifex adhuc sedens cum mitra, dicit ad circumstantes:

**A**uxiliánte Dómino Deo, et Salvatóre nostro Jesu Christo, eligimus has præséntes Vírgines benedícere, et consecráre, ac Dómino nostro Jesu Christo, summi Dei Fílio, desponsáre.

Deinde Pontifex vocat Virgines in cantu, dicens: **Veníte.**

Virgines respondent: **Et nunc séquimur.**

Surgentes mox seriatim veniunt usque ad introitum chori, exterius tamen genua flectentes.

Tunc Pontifex eas secundo altius vocat in cantu, dicens: **Veníte.**

Virgines surgentes respondent similiter in cantu, dicentes:

**Et nunc séquimur in toto corde.**

Deinde usque ad medium chori procedunt, et ibi genua flectunt. Tunc Pontifex tertio altius vocat eas in cantu, dicens:

**Veníte filíæ, audíte me, timórem Dómini docébo vos.**

Virgines vero surgentes respondent cantantes Antiphonam:

**Et nunc séquimur in toto corde, timémus te, et quærimus fáciem tuam vidére, Dómine ne confúndas nos, sed fac nobis juxta mansuetúdinem tuam, et secúndum multitudínem misericórdiæ tuæ.**

Et præmissa cantantes Virgines, magis appropinquantes ascendunt in Presbyterium; ubi omnes coram Pontifice genuflectunt; et capita profunde, quasi usque ad terram, inclinant. Deinde singulæ successive caput aliquantulum erigentes, cantant etiam hunc Versum:

**S**úscipe me, Dómine, secúndum elóquium tuum; ut non dominétur mei omnis injustítia.

Quo per singulas dicto, surgunt omnes, et a matronis prædictis seriatim ordinantur, stantes ibidem in modum coronæ coram Pontifice, congruo tamen



spatio distantes ab eo. Tunc Pontifex hortatur illas publice ad amplectendum, et servandum sanctæ virginitatis propositum: et mox interrogat eas palam, et communiter dicens:

**Vultis in sanctæ virginitatis proposito perseverare?**

Et singulæ respondent: **Volumus.**

Tunc unaquæque sigillatim genuflectit coram eo; et immissis manibus junctis inter ambas manus Pontificis, Pontifex interrogat quamlibet dicens:

**Promittis te virginitatem perpétuo servare?**

Respondet illa: **Promitto.**

Et Pontifex dicit: **Deo grátias.**

Illæ vero osculatur manus Pontificis, surgitque, et ad suum locum revertitur, et genuflectit. Omnibus autem sic per ordinem expeditis, et ad sua loca reversis, et genuflexis, Pontifex communiter omnes interrogat, dicens:

**Vultis benedici, et consecrari, ac Dómino nostro Jesu Christo, summi Dei Fílio, desponsari?**

Respondent omnes: **Volumus.**

Post hæc Pontifex ante altare super faldistorium procumbit cum mitra; et ministri hinc, et inde genuflectunt; Virgines vero post Pontificem super tapetia, in modum coronæ, se prosternunt; et cantores incipiunt, et prosequuntur Litanias ut supra pag. 18. Et postquam dictum fuerit, et a choro responsum:

**Ut omnibus fidelibus, etc. R. Te rogámus audi nos.**

Pontifex surgit cum mitra, et vertens se ad Virgines prostratas, tenens baculum Pastorem in sinistra, in pristino tono dicit, primo:

**Ut præsentés ancillas tuas bene ✠ dicere digneris.**

**R. Te rogámus audi nos.**

**Ut præsentés ancillas tuas bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris.**

**R. Te rogámus audi nos.**

Quibus dictis, Pontifex redit ad accubitum, cantoribus Litanias, ubi dimiserant, reassumentibus, et perficientibus. Quibus finitis, surgunt omnes, et dicitur Hymnus: **Veni, Creátor Spíritus, etc.** ut supra pag. 31, Pontifice, sine mitra ante altare genuflexo, incipiente, et choro illum prosequente usque ad finem; primo Versu dicto, Pontifice surgente et usque ad finem ejusdem Hymni sine mitra stante. Hymno dicto, Virgines ad papilionem, seu ad alium locum idoneum proximiorum, ad hoc ordinatum, revertuntur. Pontifex vero coram altari stans, deposita mitra, benedicit Virginum vestes, dicens:

**Ÿ. Dóminus vobiscum. R. Et cum spíritu tuo.**

**Orémus.**

**D**eus æternorum bonorum fidelissime promissor, certissime persolutor, qui vestimentum salutis et indumentum æternæ jucunditatis tuis fidelibus promisisti, clementiam tuam suppliciter exoramus, ut hæc indumenta, humilitatem cordis, et contemptum mundi significantia, quibus famulæ tuæ sancto visibiliter sunt informandæ proposito, propitius bene ✠ dicas; ut beatæ castitatis habitum, quem, te inspirante, suscipiunt, te protegente custodiant; et quas venerandæ vestibus promissionis induis temporaliter, beatâ facias immortalitate vestiri. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium

tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R. Amen.**

**Orémus.**

**D**ómine Deus, bonarum virtutum dator, et omnium benedictionum largus infusor, te obnoxio precibus deprecamur, ut has vestes bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris, quas famulæ tuæ pro indicio cognoscendæ religionis induere se volunt; ut inter reliquas feminas tibi cognoscantur dicatæ. Per Christum Dóminum nostrum.

**R. Amen.**

**Orémus.**

**E**xaudi, omnipotens Deus, preces nostras; et has vestes, quas famulæ tuæ ad se ipsas operiendas exposcunt, uberrimæ benedictionis imbre perfunde, sicut perfudisti oram vestimentorum Aaron benedictione unguenti, profluentis a capite in barbam; et sicut benedixisti vestes omnium religiosorum tibi per omnia placentium, ita eas bene ✠ dicere, et sancti ✠ ficare digneris: ac præsta, clementissime Pater; ut supradictis famulabus tuis sint hæ vestes salutis protectio, hæ cognitio religionis, hæ initium sanctitatis, hæ contra omnia tela inimici robusta defensio, ut centesimi muneris opulentiæ, perseverante continentia, ditentur. Per Christum Dóminum nostrum.

**R. Amen.**

Et vestes aqua benedicta aspergit; quæ portantur Virginibus ad locum, ad quem divertunt; ubi dimissis quotidianis vestibus, induunt benedictas.

Pontifex autem stans, ut supra, benedicit vela Virginum, dicens:

**Orémus.**

**S**uppliciter te, Dómine, rogámus, ut super has vestes ancillarum tuarum capitibus imponendas, bene ✠ dictio tua benigna descendat; et sint hæ vestes benedictæ, consecratæ, immaculatæ, et sanctæ. Per Christum Dóminum nostrum. **R. Amen.**

**Orémus.**

**C**aput omnium fidelium, Deus, et totius corporis salvator, hæc operimenta velaminum, quæ famulæ tuæ propter tuum, tuæque Genitricis beatissimæ Virginis Mariæ amorem suis capitibus sunt imposituræ, dextera tua sancti ✠ fica: et hoc, quod per illa mystice datur intelligi, tua semper custodia, corpore pariter et animo incontaminato custodiant; ut, quando ad perpétuam Sanctorum remunerationem venerint, cum prudentibus et ipsæ virginibus præparatæ, te perducente, ad sempiternæ felicitatis nuptias introire mereantur: Qui vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R. Amen.**

Et vela ipsa aqua benedicta aspergit.

Post hæc stans adhuc, ut supra, Pontifex benedicit annulos, dicens:

**Orémus.**

**C**reátor, et conservator humani generis, dator gratiæ spirituales, et largitor humanæ salutis: tu, Dómine, emitte bene ✠ dictionem



tuam super hos annulos; ut, quæ eos gestaverint, cœlesti virtute munitæ, fidem integram, fidelitatemque sinceram teneant; sicut sponsæ Christi virginitatis propositum custodiant, et in castitate perpétua perseverent. Per Christum Dóminum nostrum. *R.* Amen.

*Et aqua benedicta eos aspergit.*

*Tum stans adhuc sine mitra Pontifex, benedicit torques, sive coronas, dicens:*

*Orémus.*

**B**éne \* dic, Dómine, ornáménta ista: et præsta, per invocatiónem tui nóminis; ut quæcúmque ea portáverint, si tibi fidéliter servierint, corónam, quam illa désignant, in cœlo percipere mereántur: Qui in Trinitate perfécta vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum. *R.* Amen.

*Deinde eas aqua benedicta aspergit.*

*His expletis, Virgines, benedictis vestibus, exceptis velis, indutæ, binæ et binæ, seriatim redeunt ad Pontificem, cantantes Responsorium:*

**R**egnum mundi, et omnem ornátum sæculi contempsi propter amórem Dómini nostri Jesu Christi: \* Quem vidi, quem amávi, in quem crédidi, quem diléxi. *V.* Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea regi. \* Quem vidi.

*Tum disponuntur a paranympis ante altare genuflexæ coram Pontifice, in modum coronæ, vultibus demissis: Pontifex vero surgit, mitra deposita, et versus ad eas, dicit:*

*Orémus.*

**R**éspice, Dómine, propítius super has fámulas tuas, ut sanctæ virginitatis propositum, quod, te inspiránte, suscepérunt, te gubernánte, custodiant. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spíritus sancti Deus.

*Deinde dicit competenti voce, extensis manibus ante pectus, Præfationem:*

*Per ómnia sæcula sæculórum. R. Amen.*

*V. Dóminus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo.*

*V. Sursum corda. R. Habémus ad Dóminum.*

*V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.*

*R. Dignum et justum est.*

**V**ere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubique grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnipotens, ætérne Deus, castórum córporum benígnus habitátor, et incorruptárum Deus amátor animárum. Qui humánam substántiam, in primis homínibus diabólica fraude vitiátam, ita in Verbo tuo, per quod ómnia facta sunt, réparas, ut eam non solum ad primæ originis innocéntiam révoques, sed étiam ad experiéntiam æternórum bonórum, quæ novo in sæculo sunt habénda, perdúcas; et obstrictos adhuc conditióne mortálium, jam ad similitúdinem pròvehas Angelórum. Réspice Dómine super has fámulas tuas, quæ in

manu tua continétiæ suæ propositum collocántes, tibi devotiónem suam ófferunt, a quo et ipsæ vota assumpsérunt. Quómodo enim ánimus mortáli carne circúmdatus, legem natúræ, libertátem licétiæ, vim consuetúdinis, et stímulos ætátis evinceret, nisi tu Deus per liberum arbitrium hunc in eis amórem virginitatis cleménter accénderes, tu hanc cupiditátem in eárum córdibus benígnus áleres, tu fortitúdinem ministráres? Effúsa namque in omnes gentes grátia tua ex omni natione, quæ sub cœlo est, in stellárum innumerábilem númerum novi Testaméti hærédibus adoptátis, inter ceteras virtutes, quas filiis tuis non ex sanguínibus, neque ex voluntate carnis, sed de Spíritu sancto tuo génitis indidísti, étiam hoc donum in quasdam mentes de largitátis tuæ fonte deflúxit; ut cum honórem nuptiárum nulla interdícta minuissent, ac super sanctum conjúgium nuptiális benedictio permaneret, exsisterent tamen sublimiões animæ, quæ in viri, ac mulieris cópula fastidirent connúbium, concupiscerent Sacraméntum, nec imitaréntur, quod núptiis ágitur, sed diligenter quod núptiis prænotátur. Agnóvit auctórem suum beata virginitas, et ámula integritatis angélicæ, illius thálamo, illius cubículo se devóvit, qui sic perpétuæ virginitatis est sponsus, quem ádmodum perpétuæ virginitatis est filius. Implorántibus ergo auxiliium tuum Dómine, et confirmári se benedíctiõnis tuæ consecratióne cupiéntibus, da protectiõnis tuæ munímen, et régimen, ne hostis antiquus, qui excellentióra stúdia subtiliõribus infestat insidiis, ad obscurándam perféctæ continétiæ palmam, per aliquam mentis serpat incúriam, et rápiat de proposito virginum, quod étiam móribus decet inesse nuptárum. Sit in eis, Dómine, per donum Spíritus tui prudens modéstia, sápiens benígnitas, gravis lenitas, casta libertas. In caritate férveant, et nihil extra te díligant. Laudabiliter vivant, laudarique non appetant. Te in sanctitate córporis, te in animæ suæ puritate glorificent. Amóre te timeant, amóre tibi sérvant. Tu eis sis honor, tu gáudium, tu volúntas; tu in mœrore solátium; tu in ambiguitate consílium; tu in injúria defénsio; in tribulatióne paciéntia; in paupertate abundántia, in jejúnio cibus; in infirmitate medicína. In te hábeant ómnia, quem díligere appetant super ómnia, per te, quod sunt professæ, custodiant. Scrutatóri pectorum non córpore placitúræ, sed mente, tránseant in númerum puellárum sapiéntum, ut cœlestem sponsum virtutum accénsis lampádibus, cum óleo præparatiõnis expéctent, nec turbatæ improvísio Regis advéntu, sed securæ, cum lúmine, et præcedéntium Virginum choro junctæ, jucundánte occurrant: et ne excludántur cum stultis, sed regálem jánuam cum sapiéntibus Virgínibus licénter intróeant et in Agni tui perpétuo comitatu probábiles mansúra castitate permáneant. Quátenuis centésimi fructus, dono virginitatis decorári, te donánte, mereántur.



Quod sequitur, dicit submissa voce legendo; ita tamen quod a circumstantibus audiatur:

**Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum:** qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sácula sáculórum. **R.** Amen.

Tum Pontifex, accepta mitra, incipit, schola prosequente, Responsorium:

**Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum.** \* Quia concupívit rex spéciem tuam. **V.** Audi, filia, et vide, et inclína aurem tuam. \* Quia concupívit.

Incepto Responsorio, sedet Pontifex cum mitra, et eo finito, surgunt Virgines; et duæ primæ ex eis præsentantur a paranympis Pontifici, coram quo humiliter genua flectunt, cantantes simul Antiphonam:

**Ancilla Christi sum, ideo me osténdo servilem habére persónam.**

Qua dicta, Pontifex interrogat illas palam, dicens:

**Vultis persístere in sancta virginitáte, quam proféssæ estis?**

Et illæ simul respondent: **Vólumus.**

Tum Pontifex imponit velum super caput cujuslibet, quod dependeat super scapulas, et super pectus, et usque ad oculos singulis, dicens:

**A**ccipe velámen sacrum, quo cognoscáris mundum contempsísse, et te Christo Jesu veráriter humilítérque, toto cordis annísu, sponsam perpetuáliter subdidísse, qui te ab omni malo deféndat, et ad vitam perdúcat ætérnam. **R.** Amen.

Ambabus velatis, ambæ simul genuflexæ, ut erant, cantant hanc Antiphonam:

**P**ósuit signum in fáciem meam, ut nullum præter eum amátorem admíttam.

Quo facto, reducuntur a matronis prædictis ad loca ordinis sui, ubi prius erant; et aliæ duæ, quæ post illas in ordine sequuntur, præsentantur Pontifici, coram quo simili modo genua flectunt, cantant, et velantur, ut primæ. Omnibus autem sic velatis, deposita mitra, surgit Pontifex, et stans versus ad illas, dicit:

**V.** Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spírítu tuo.

Orémus.

**F**ámulas tuas, Dómine, tuæ custódia múniat pietátis, ut virginitátis sanctæ propósitum, quod, te inspiránte, suscepérunt, te protegénte, illæsum custódiat: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sácula sáculórum.

**R.** Amen.

Tum Pontifex, accepta mitra, vocat Virgines, incipiens Antiphonam, schola prosequente:

**Desponsári, dilécta, veni, hiems tránsiit, turtur canit, víneæ florétes rédolent.**

Qua incepta, sedet Pontifex cum mitra, et ea finita, illæ, quæ primæ venerant ad recipiendum velum, præsentantur Pontifici a matronis prædictis, eo modo et ordine, sicut prius. Tunc Pontifex accipiens anulum cum dextera sua, et dexteram manum Virginis cum sinistra manu sua, et mittens anulum

ipsum digito annulari dexteræ manus Virginis, desponsat illas Jesu Christo, dicens singulis:

**D**espónso te Jesu Christo, Fílio summi Patris, qui te illæsam custódiat. Accipe ergo ánnulum fidei, signáculum Spíritus sancti; ut sponsa Dei vocéris, et si ei fidéliter servíeris, in perpétuum coronéris. In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ li, et Spíritus ✠ sancti.

**R.** Amen.

Quo facto, ambæ simul genuflexæ, decantant Antiphonam:

**Ipsi sum desponsáta, cui Angeli sérvíunt, cujus pulchritúdinem sol et luna mirántur.**

Qua cantata, reducuntur a matronis prædictis ad loca sua, et aliæ duæ, quæ illas sequuntur in ordine, præsentantur Pontifici, coram quo genuflectunt, cantant, et desponsantur, modo præmisso. Omnibus ergo sic seriatim desponsatis, et ad loca sua reductis, omnes genuflexæ simul levant in altum, et ostendunt dexteras manus, cantantes hanc Antiphonam:

**Annulo suo subarrhávit me Dóminus meus Jesus Christus, et tamquam sponsam decorávit me coróna.**

Deinde Pontifex cum mitra surgit, et stans versus ad illas, dicit:

**B**ene ✠ dicat vos Cónditor cœli, et terræ, Deus Pater omnipotens, qui vos eligere dignátus est ad beátæ Mariæ matris Dómini nostri Jesu Christi consórtium; ut íntegram, et immaculátam virginitátem, quam proféssæ estis, coram Deo, et Angelis ejus conservétis; propósitum teneátis; castitátem diligátis; patiéntiam custodiátis; ut corónam virginitátis accipere mereámini. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. **R.** Amen.

Post hæc Pontifex cum mitra stans, iterum vocat illas in cantu inchoans, schola prosequente, hanc Antiphonam:

**Veni sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.**

Incepta Antiphona, sedet Pontifex cum mitra, et ea finita, præsentantur ei a paranympis duæ primæ Virgines, ut prius, coram eo genuflexæ. Ipse autem torquem, sive coronam accipiens, imponit capiti cujuslibet Virginis, seriatim singulis dicens:

**A**ccipe corónam virginális excellétiæ, ut sicut per manus nostras coronáris in terris, ita a Christo glória et honóre coronári mereáris in cœlis. Per eúndem Christum Dóminum nostrum.

**R.** Amen.

Et mox ambæ simul decantant hanc Antiphonam:

**Induit me Dóminus cýclade auro texta, et imménsis monílibus ornávit me.**

Qua cantata, reducuntur a matronis prædictis ad loca sua; et aliæ præsentantur, quæ simili modo genuflectunt, cantant, et coronantur. Omnibus coronatis, et ad loca sua reductis, et stantibus, Pontifex, deposita mitra surgit, et stans versus ad illas, dicit:

**V.** Dóminus vobíscum. **R.** Et cum spírítu tuo.



Orémus.

**D**a, quæsumus, omnipotens Deus, ut hæ famulæ tuæ, quæ pro spe retributiõnis æternæ tibi Dõmino Deo desiderant consecrari, plena fide, animoque in sancto proposito permâneant. Tribue eis, Dõmine, humilitatem, castitatem, obediẽtiam, caritatem et omnium bonõrum õperum quantitatem: ut ad mæritum æternæ gloriæ possint pervenire. Per Christum Dõminum nostrum.

*R.* Amen.

*Deinde omnibus simul genua flectentibus, Pontifex stans, ut prius, sine mitra, dicit hanc Orationem.*

Orémus.

**T**e invocamus, Dõmine sancte, Pater omnipotens, æternæ Deus, super has famulas tuas, quæ tibi voverunt pura mente, mundõque corde servire; ut eas sociare digneris inter illos centum quadraginta quatuor millia, qui virgines permanserunt, et se cum mulieribus non coinquinaverunt; in quorum ore dolus non est inventus; ita et has famulas tuas facias permanere immaculatas usque in finem. Per immaculatum Dõminum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculõrum. *R.* Amen.

*Qua finita, Virgines surgentes, simul cantant Antiphonam:*

**Ecce**, quod concupivi, jam video, quod speravi, jam teneo: illi sum juncta in cœlis, quem in terris posita, tota devotiõne dilexi.

*Post hæc Pontifex, junctis ante pectus manibus, dicit super illas, stantes humiliter inclinatas, benedictionem.*

**D**eus plasmator corporum, afflator animarum, qui nullam spernis ætatem, nullum sexum reprobas, nullam conditionem gratia tua ducis indignam, sed omnium æqualis creator es, et redemptor, tu has famulas tuas, quas ex omni numero gregis, ut bonus pastor, ad conservandam coronam perpetuæ virginitatis, et castimoniam animæ eligere dignatus es, tuæ protectionis scuto circumtege, et ad omne opus virtutis et gloriæ, magistrante sapientia, præpara, ut vincentes carnis illécebras, et illicita connubia recusantes, insolubilem Filii tui Dõmini nostri Jesu Christi copulam mereantur. His petimus, Dõmine, arma suggeras, non carnalia, sed spiritus virtute potentia, ut, te muniẽte, earum sensus et membra, in earum corporibus et animabus non possit dominari peccatum; ac sub tua gratia vivere cupientibus, nihil sibi defensor malõrum, et inimicus bonõrum de his vasis nomini tuo consecratis prævaleat vindicare. Omnem etiam nocivum calorem imber gratiæ tuæ cœlestis exstinguat, lumen vero perpetuæ castitatis accendat; facies pudica scandalis non pateat, neque incautis occasionem tribuat negligentia delinquendi. Sitque in eis casta virginitas; sint ornatae pariter, et

armatae fide integra, spe certa, caritate sincera: ut, preparato animo ad continentiam, virtus tanta præstetur, quæ superet diaboli universa figmenta: et contemnendo præsentia, futura sectentur: jejunia epulis carnalibus præferant: lectiones sacras et orationes convivii et potationibus anteponant: ut orationibus pastæ, et eruditionibus explætæ, illuminatæ vigiliis, opus gratiæ virginalis exerceant. His igitur virtutum armis has tuas famulas intèrius extèriusque communiens, præsta, inoffensum cursum virginitatis implere. Per Christum Dõminum nostrum. *R.* Amen.

*Tum Pontifex, accepta mitra, stans dicit sequentem benedictionem super illas genuflexas.*

**B**enedicat vos Deus Pa-ter, et Fi-lius, et Spiritus sanctus omni benedictione spirituáli; ut manentes semper incorruptæ, inviolatæ, et immaculatæ, sub vestimẽto sanctæ Mariæ, matris Dõmini nostri Jesu Christi, requiescat super vos Spiritus septiformis gratiæ, spiritus sapientiæ et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiæ et pietatis; et repleat vos spiritus timoris Dõmini, fragiles solidet, invalidasque confirmet, pietate allevet, et mentes regat, vias dirigat, cogitationes sanctas instituat, actus probet, opera perficiat, caritate ædificet, sapientia illuminet, castitate muniat, scientia instruat, fide firmet, in virtute multiplicet, in sanctitate sublimet, ad patientiam præparet, ad obediẽtiam subdat, sobrias protegat, et pudicas: in infirmitate visitet, in dolore relevet, in tentatione custodiat, in prosperitate temperet, in iracundia mitiget, in iniquitate emundet, infundat gratiam, remittat offensam, tribuat disciplinam. Ut his, et similibus virtutibus fultæ, et sanctis operibus illustratæ, illa semper studeatis agere, quæ digna fiant remuneratione. Illum habeatis testem, quem habituræ estis iudicem; et vos aptetis, ut præfulgentem gestetis in manu lampadem, intraturæ sponsi thalamum, occurratis cum gaudio, et nihil in vobis repèriat foetidum, nihil sordidum, nihil occultum, nihil corruptum, nihil inhonestum, sed niveas et candidas animas, corporaque lucida, atque splendida; ut, cum ille dies tremendus remunerationis justõrum, retributionisque malõrum advenerit, non inveniat in vobis ultrix flamma, quod urat, sed divina pietas, quod coronet; quas jam in hoc sæculo conversatio religiosa mundavit, ut ad tribunal æterni Regis ascensuræ, celsaque palatia, cum iisdem mereamini habere protectionem, qui sequuntur Agnum, et cantant canticum novum sine cessatione, illic percepturæ præmium post laborem, sempèrque maneatis in viventium regione. Atque ipse benedicat vos de cœlis, qui per crucis passionem humanum genus est dignatus venire in terris redimere, Jesus Christus Dõminus noster, qui cum æterno Patre, et Spiritu sancto in unitate perfectæ vivit, et regnat Deus, in sæcula sæculõrum. *R.* Amen.



Deinde Pontifex sedens cum mitra, publica voce anathema ponit, ne quis eas a divino servitio, quæ vexillo castitatis subjectæ sunt, abducat; nullus earum bona surripiat, sed ea cum quiete possideant, in hanc formam:

**A**uctoritate omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, firmiter, et sub interminatione anathematis inhibemus, ne quis præsentēs Virgines, seu Sanctimoniāles a divino servitio, cui sub vexillo castitatis subjēctæ sunt, abducat, nullus earum bona surripiat, sed ea cum quiete possideant. Si quis autem hoc attentare præsumperit, maledictus sit in domo, et extra domum; maledictus in civitate, et in agro; maledictus vigilando, et dormiendo; maledictus manducando, et bibendo; maledictus ambulando, et sedendo; maledicta sint caro ejus, et ossa, et a planta pedis usque ad verticem non habeat sanitatem. Veniat super illum maledictio hominis, quam per Moysen in lege filiis iniquitatis Dominus permisit. Deleatur nomen ejus de libro viventium, et cum justis non scribatur. Fiat pars et hæreditas ejus cum Cain fratricida, cum Dathan, et Abiron, cum Anania, et Saphira, cum Simone mago, et Juda proditore, et cum eis, qui dixerunt Deo: Recede a nobis, semitam viarum tuarum nolimus. Pereat in die iudicii; devoret eum ignis perpetuus cum diabolo, et angelis ejus, nisi restituerit, et ad emendationem venerit. Fiat, fiat.

Tum dicitur Allelujā, sive ultimus Versus Tractus, vel Sequentiæ, et cetera usque ad Offertorium inclusive, Virginibus in ordine suo manentibus.

Offertorio dicto, singulæ Virgines consecratæ, velatis capitibus, ad manus Pontificis in faldistorio ante medium altaris cum mitra sedentis, offerunt, coram eo genuflexæ, quælibet candelam accensam.

Interim parantur pro eis tot Hostiæ consecrandæ, quot sunt ipsæ numero. Facta oblatione, Pontifex cum mitra sedens lavat manus; deinde, deposita mitra, surgit, et prosequitur Missam, more consueto.

#### Secreta.

**O**blatis hostiis, quæsumus, Domine, præsentibus famulabus tuis perseverantiam perpetuæ virginitatis accommoda; ut apertis januis, summi Regis adventu, regnum cœlestē cum lætitia mereantur intrare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Postquam Pontifex se de Corpore, et Sanguine communicaverit, tum accedunt ad supremum gradum altaris Virgines ipsæ binæ et binæ, et ibidem genuflectunt; Pontifex vero singulas communicat, et omnibus communicatis, ipsæ Virgines ante altare, ut in Missa fuerunt genuflexæ, simul cantant Antiphonam:

**Mel et lac ex ejus ore suscepti, et sanguis ejus ornavit genas meas.**

Interim Pontifex ablutionem sumit; tum accepta mitra, stans lavat manus, deinde perficit Missam.

#### Postcommunio.

**D**eus, qui habitaculum tuum in corde pudico fundasti, respice super has famulas tuas, et quæ castigationibus assiduis postulant, tua consolatione percipiant. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. **R.** Amen.

Missæ finita, Pontifex dat benedictionem solemnem.

Et quia in nonnullis monasteriis est consuetudo, quod loco Diaconissatus Virginibus consecratis datur facultas incipiendi Horas canonicas, et legendi Officium in Ecclesia, Pontifex stans ante altare sine mitra, Virginibus consecratis coram eo genuflexis, dicit:

**V.** Dominus vobiscum. **R.** Et cum spiritu tuo.

#### Orémus.

**E**xaudi, Domine, preces nostras, et super has famulas tuas spiritum tuum bene dictionis emitte; ut cœlesti munere ditata, et tuæ majestatis gratiam possint acquirere, et bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Tum sedet Pontifex, accepta mitra, et tradit Breviarium illis, ambabus manibus ipsum tangentibus, dicens:

**A**ccipite librum, ut incipiatis Horas canonicas, et legatis Officium in Ecclesia. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. **R.** Amen.

Surgit Pontifex, mitra deposita, et conversus ad altare incipit Hymnum. Te Deum laudamus, quem chorus prosequitur usque ad finem ut supra pag. 50. et eo finito, duæ ex choro dicunt:

**V.** Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

Respondet chorus:

**R.** A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

Et Pontifex stans in cornu Epistolæ altaris, conversus ad altare, ex libro ibidem super altari posito, dicit:

**A**ctiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere; ut cuncta nostra oratio, et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. **R.** Amen.

Post hæc Virgines consecratæ revertuntur ad portam monasterii, ubi Pontifex eas coram se genuflexas præsentat Abbatisse similiter genuflexæ dicens:

**V**ide, quomodo istas consecratas Deo serves, et repræsentes immaculatas; redditura pro eis rationem, ante tribunal sponsi earum, venturi iudicis.

Tum Pontifex redit ad Ecclesiam, dicens:

Dominus vobiscum.

Initium sancti Evangelii secundum Joannem.

In principio etc.

Et sacris vestibus depositis, vadit in pace.